



ARGUMENTVM SEQVENTIS

LIBRI PER BEATVM

RHENANVM.



Rogans Iudæorum supercilium ex Paulinis epistolis satis notum esse potest. Nulla gens unquam alienos à sua religione magis est execrata, cunctis uicissim inuisissima, sic nimirum dignam inexpiabilis odij sui mercedem reportas odium. Quo minus mirandum est si Iudæi qui CHRISTO nomen dederant, ethnicos non putabant recipiendos, sibi tantum Euangelicam legem datam contendentes, ut quondam lex illa Mosaica tradita fuit. Proinde disputationem Christiani hoc est qui ex ethnicis Seruatori nostro fuerat initiatus, cum Iudæo profelyto suæ duntaxat genti CHRISTVM uendicante habitam, Tertullianus in literas retulit. Ostendit autem per figuras instrumenti ueteris, ethnicos ad Euangelicam legem admittendos, negans interim Mosaicam legem primam fuisse quam deus hominibus præscripserit, sed omnium antiquissimam in paradiso, mox patriarchis naturalem fuisse datam, deinde Mosaicam prodijisse quæ pro tempore sit exhibitæ. Porro legis præcepta pro conditione temporum à deo mutari, nostræ saluti consultum esse uolente. Itaque circumcisionem carnalem, obseruationem sabbati, sacrificiaque terrenarum oblationum, rebus spiritualibus cessisse quarum erant figuræ. Prosequitur præcipua disputationis capita Prophetarum agens testimonijs, De sabbato, circumcisione, & legis utriusque obseruatione, De natiuitate CHRISTI, qui prior fuit aduentus, nimirum sese deijcientis, De eius aeterno regno, De illius Passione, & euerfione Hierusalem, De probatione Natiuitatis, ubi refelluntur argumenta quibus CHRISTI passionem impugnant Iudæi, De figuris dominicæ passionis ex ueteri instrumento, De uastatione Israel, De gentibus quæ CHRISTO credituræ forent, Iudæis illum respicientibus, Demum de posteriore CHRISTI aduentu, qui cū magnificus sit futurus, solus Iudæis aridet, sublimem duntaxat CHRISTVM agnoscentibus. Ex hoc libro diuus Hieronymus bonam capitis partem citat, Daniele prophetam enarrans. Et uidetur Cyprianus hoc uolumen amulatus suos illos ad Quirinum libros texuisse, nam is Tertullianum sedulo solet imitari, cuius scriptis assidue lectis pectus suam egregie refererat. Exemplo sit unicus de patientia libellus, quem Cyprianus totum sibi uendicauit, uerbis tantum non etiam sententijs interpolatis. Est autem candidior Tertulliano faciliorq;. Porro non fugiat lectorem, huius operis materiam etiam in libris aduersus Marcionem haberi, præsertim in tertio, iisdem sanè uerbis, sed nonnihil fusius tractatam. ubi hoc ipsum probat, CHRISTVM uidelicet fuisse de quo tot olim oracula Prophetæ adiderint.

k 3 Q. Septimij